

utrobique sicut eadem perfectio, quæ est entitative in objecto est intentionaliter in specie, sed non eo modo quo est in objecto, est in specie. Sed contra est, quia res, quæ ponitur in prædicamento non solum est in illo ratione modi, sed ratione ipsius substantiæ, et quidditatis, quæ ponitur in tali prædicamento, si quidem in se essentialiter et non solum ratione illius modi est definibilis per prædicata generica, et differentialia; ex quibus componitur in ratione quidditatis, ergo prout consideratur in sua formali constitutione, et essentiali conceptu, et non solum ratione modi, quo est in creaturis ingreditur in ea prædicatum genericum, et specificum, et consequenter ratione talis quidditatis in prædicamento est, etsi tollitur a prædicamento, non solum modus quo est in creaturis, sed etiam quidditas ejus formalis destruitur. Quod vero adducitur de specie *intentionali, et objecto est* longe diversa ratio, quia in specie sunt omnia prædicata quidditativa repræsentative, quæ sunt in objecto entitative, etiam ipsa limitatio, et posito in prædicamento. At vero in Deo non potest poni prædicatum aliquod ingrediens prædicamentum, si autem perfectio aliqua pure creata præscindat ab eo, quod est poni in prædicamento, hoc ipso mutatur essentialis ratio talis perfectionis, si quidem constituitur in sua quidditate, ut prædicamentalis, et sic nunquam potest salvari, quod perfectio illa maneat eadem formaliter in Deo præscindendo, et purificando ab omni imperfectione, nam talis purificatio, et præcisio destruit essentialem conceptum illius perfectionis in cujus visceribus includitur illa limitatio. Quare solum eminenter, et virtualiter hujusmodi perfectiones continentur in Deo, id est, tamquam effectus in virtute

causæ non ut formaliter existendo, et afficiendo ipsum Deum, licet quia causa illa est suprema, et eminentissima, omnes rationes etiam individuales effectum contineat.

XIV. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, respondetur ex dictis nullam perfectionem deesse Deo, nisi ratione imperfectionis adjunctæ, sed dicimus esse aliquas perfectiones, quæ in suo conceptu formali, et constitutivo, ita includunt imperfectionem, et limitationem certi generis, quod non possunt stante suo conceptu essentiali ab illa præscindere, et purificari, includunt autem in suo conceptu essentiali illam imperfectionem, quia earum essentia est constituta ex genere, et differentia, et sic perfectio, ut generica pertinet ad definitionem, et quidditatem talis rei, et non solum quoad modum materialiter se tenentem ex parte subjecti.

XV. Dico tertio: Etiam *intentionaliter, et intelligibiliter perfectiones creatæ determinati generis non sunt formaliter eminenter in Deo, sed eminenter, virtualiter.* Ita magister Gonzalez ubi supra aliique Thomistæ. Explicatio hujus conclusionis multum dependet ex his, quæ dicimus in quæstione XIV, circa articulos V et VI, quomodo Deus intelligat creaturas. Et pro nunc suppono Deum non intelligere creaturas per speciem, vel conceptum immediate repræsentantem illas, sed mediante essentia sua ut cognita, quia hæc est objectum immediate motivum divinæ cognitionis; creaturæ autem solum sunt objectum terminativum ejus licet perfectissime, et adæquatissime intelligantur, non tamen ut objectum movens immediate, et specificans divinam cognitionem, sed ut contentum seu deductum ex objecto primario movente, quod est essentia divina. Ex quo deducitur ratio pro nostra conclusione, quia inten-

tionalis, et intelligibilis repræsentatio in tantum continet perfectionem inventam in objecto formaliter in quantum est idem cum illa licet in alio esse, scilicet in esse intentionali, et intelligibili, ergo si non repræsentat immediate tale objectum neque est immediate idem cum illo, sed cum alio, quod est causa talis objecti, non continebit formaliter illud, nisi eo modo quo fuerit contentum in tali causa, et in tali objecto immediate repræsentato; sed esse intelligibile, quod formaliter est in Deo est esse intelligibile increatum, quia in Deo non datur species aliqua creata, ut de se patet, caret enim Deus omni perfectione accidentali, et finita; ergo non potest immediate et formaliter continere in illa repræsentatione perfectionem creatam, sed solum virtualiter, et mediate. Patet consequentia, quia solum repræsentatur, et continetur repræsentative creatura in essentia divina, in quantum continetur in objecto primario directe, et immediate, et per se repræsentato, scilicet in essentia divina, ibi autem continetur virtualiter, non formaliter, ut ostensum est, ergo virtualiter etiam et mediate continetur in specie illa intelligibiliter repræsentante divinam essentiam, et mediante essentia, creaturas. Si autem daretur species aliqua in Deo, quæ immediate repræsentaret creatam perfectionem, et non divinam, in qua continetur virtualiter, tunc bene sequeretur, quod contineret formaliter illam in alio modo essendi, sicut species immediata, et propria alicujus rei immediate, et formaliter continet illam repræsentative, hæc autem non potest dari in Deo, quia ut diximus solum habet speciem increatam, et hæc immediate, et formaliter solum potest repræsentare, et correspondere essentiæ divinæ

tamquam objecto immediato, et ita solum mediate et virtualiter potest repræsentare creaturas.

XVI. Sed objicies primo, quia Deus intelligit naturam creatam proprie quoad omnia, quæ in ea sunt, eo quod continetur in essentia divina, sicut actus imperfectus in perfecto, sicut ternarius in senario, ut docet Div. Thomas infra quæstione XIV, articulo VI. Ergo continet perfectionem creatam formaliter intelligibiliter, quia continet illa quantum ad omnia, quæ sunt in tali creatura, sicut ternarius in senario, in quo formaliter continetur, non virtualiter, alias non haberet proprium conceptum creaturæ, et immediatum, si intelligibili modo non contineret, et repræsentaret formaliter illam. Confirmatur, quia alias non esset differentia inter perfectionem creaturæ, quam Deus cognoscit, et privationem, seu malum, nam mala cognoscit mediate in quantum privant bono, ergo perfectiones immediate attingit, et non prout in alio.

XVII. Respondetur Deum perfectissime cognoscere omnia quæ sunt in creatura, et ab ipso Deo participantur in illa non sicut formaliter in se existentia, sed sicut effectum a se derivatum, et descendente, tamquam ab actu perfectissimo actus imperfectus, et participatus. Quod vero dicitur contineri in Deo, sicut ternarius in senario, intelligitur de continentia virtuali per modum effectus, non formali per modum inclusi, quia non intelligitur sicut ternarium componens senarium, sed sicut ternarium participatum, et derivatum a senario, quia omnis perfectio creata solum comparatur ad Deum, ut perfectio participata, quæ si essentialiter sit determinati generis, non potest purificari ab imperfectione generica, ut formaliter ponatur in Deo, sed so-

tio, sed quia non potest purificari perfectio creata ab omni imperfectione sibi essentiali, et illa non purificata non potest esse in Deo, consequenter supra Deum non addit aliquid quod possit meliorare ipsum, sed solum quod possit diminuere, seu participare, et secundum participationem extendere.

XXIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod ad cognoscendum distincte, et perfectissime aliquam creaturam sufficit cognoscere illam in aliquo principio, et virtute, a qua participatur secundum omnem rationem, et modum imaginabilem. Et hoc modo se habet virtus Dei ad creaturas. Si autem aliquid cognoscatur in alio, in quo solum imperfecte continetur, et non secundum omnem rationem ab illo participatur, ex vi talis continentiae non poterit perfecte cognosci. Ad hoc vero ut videatur intuitive in se, non requiritur quod videatur per ipsam creaturam, tamquam per medium seu motivum videndi, sed sufficit hoc medium esse ipsam virtutem divinam a qua participatur tota creatura, terminari

vero cognitionem ex parte objecti terminativi ad rem creatam, ut coexistentem sibi.

XXV. Ad secundam confirmationem respondetur negando suppositum nempe, quod dentur perfectiones creatæ determinati generis, et quod sublatis imperfectionibus remaneant in suo conceptu essentiali formaliter, ut declaratum est. Solum ergo sunt in Deo virtualiter sublatis imperfectionibus in virtute Dei a qua participantur, formaliter enim haberi non possunt propter imperfectionem, quæ sibi essentialis est, et cum qua producuntur a Deo ex parte rei productæ, licet perfectissime ex parte modi producendi. Et quando dicitur, quod creatura solum distinguitur a Deo per imperfectionem, distingo per imperfectionem sibi essentialem, et impræcindibilem, concedo; non essentialem sibi, nego. Et sic illa perfectio creata formaliter considerata non potest esse in Deo ob imperfectionem quidditative sibi convenientem, non solum ex parte modi se tenentem, et ita sufficit, quod sit in Deo virtualiter.

QUÆSTIO V.

DE BONO IN COMMUNI.

Tractaturus D. Thomas de attributo bonitatis, quod sequitur ad perfectionem, si quidem unumquodque in tantum est bonum, in quantum perfectum, prius agit de bono in communi, deinde quæstione sequenti de bono divino.

SUMMA QUÆSTIONIS V.

Circa bonum in communi considerat Div. Thomas tria. Primo, quomodo bonum se habeat ad ens, cum quo identificatur, et a quo differt secundum rationem. Secundo, quid sit illud in quo bonum differt ab ente, et in quo consistat. Tertio, quomodo bonum dividatur. Circa primum præmittit tamquam fundamentum in articulo primo, quod bonum est idem cum ente realiter, et differt ratione, eo quod ratio boni est, quod sit aliquid appetibile, omnia enim appetunt bonum, quia appetunt perfectionem suam, unde oportet, quod ut aliquid sit bonum, sit perfectum. Perfectum autem dicitur aliquid in quantum est in actu, quia esse in potentia est esse imperfectum, est autem in actu, in quantum habet esse et esse est actualitas entis, ergo oportet, quod bonum sit idem, quod ens in actu, et perfectum; explicat tamen bonum illam rationem appetibilis, quam non explicat ratio entis. Et ita stat bene aliquid esse simpliciter ens in ratione substantialis esse, non tamen esse simpliciter bonum, quia deest illi perfectio, et consummatio, quia per accidentia convenit illi.

Ex quo fundamento deducit D. Thomas articulis secundo et tertio, quod ens est prius ratione, quam bonum, et secundo, quomodo bonum conveniat omni enti. Primum ex eo ostendit, quia prima ratio cognoscendi est ens, cognoscitur enim unumquodque in quantum est ens, ergo secundum modum cognoscendi prius est ens, quam bonum, licet in ratione movendi, et causandi bonum sit prius, quam ens, quia est appetibile, et habet rationem finis, qui in causando, et movendo est prior. Secundum vero probat quia omni enti convenit esse, vel ordo ad esse. Ergo aliqua perfectio, seu actus, ergo aliqua ratio boni, quæ si consideretur, vel in statu puræ potentialitatis, ut materia prima, vel in statu excludente omnem motum, et allicientiam, non dicitur sub illo statu appeti, vel movere, et consequenter non est bonum in actu.

Circa secundum, explicat in articulis quarto et quinto quam causalitatem dicat bonum, et in quo consistat perfectio boni. Et dicit articulo quarto quod bonum importat causalitatem finis secundum quam bonum est diffusivum sui, quia importat rationem perfecti, non solum secundum rationem causæ formalis per quam aliquid perficitur, et constituitur in se